

DEO OPTIMO MAXIMO FORTUNANTE!

ENODATIO

RUBRICÆ, LEG.

I. II. III. TIT. PANDECTA-
RUM POSTREMI,

Quæstionibus materiæ subjectæ
convenientibus illustrata & ad disputandum,

in Celeberrimâ Academiâ Wittebergensi,

Ex decreto atq; Autoritate Amplissimi
Collegij Juridici proposita

ab

HENRICO COSELIO

de Pezlinovez . J. U. L.


Respondente

JOHANNE FRIDERICO HILLIGERO

DRESDENSI.

Habebitur

ad d. Januarij horis & loco consuetis.



WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.
ANNO clō 15 c XLVI.



In nomine Domini nostri Je-
su Christi ad omnes acrius semper progredimur,

minimè ingenio nostro confidentes, sed omnem spem ad so-
lam summam providentiam TRINITATIS referentes

l. 2. in pr. C. de Offic. Praefect. Praetor. Africa &c.

junct. l. 1. in princ. C. de veter. Jur.

enucleando, &c.

Rubr. D. de diversis regulis
Juris antiqui.

Ribonianus in Pandectis titulum
hunc postremum esse voluit, quam ob causam
verò id ab eo factum sit, non immeritò quis du-
bitaverit: praesertim cum ex generali regularum
juris cognitione reliquorum specialium jurium
cognitio dependeat: ut & lex methodi generalia
specialibus praeponi velit. Ignoratis namq; generalibus, specia-
lia quoq; imperfectè cognoscuntur. Quem ordinem alibi quoq;
in Jure nostro observari videmus: Sic in Institutis agitur de obli-
gationibus in genere, postmodum singulatim de iis quae prove-
niunt ex contractu, ex quasi contractu, ex maleficio &c. & ita
consequenter de singulis speciebus. Eodem modo in Pandectis
agitur de usucapionibus in genere, & tandem de usucapione pro
emptore, pro donato, pro legato, pro dote &c. in specie. Quà
de causà hic titulus ex quorundam placido reliquis Pandectarum
titulis praeponeendus potius quam postponendus videri poterat.
Verùm hisce non obstantibus, non sine ratione ultimum huic ti-
tulo

ulo locum assignatum ex communi Regulistarum sententia ar-
bitr or. Etsi enim doctrinae ordo à generalibus inchoandus est:
generalia tamen ista ita comparata esse oportet, ut in summo gra-
du sint generalia sive generalissima (*uti videre licet ex exemplis sup.
allegatis*) sine quibus specialium cognitio nevitquam haberi pos-
sit. Tales autem non sunt regulae, de quibus in praesentititulo
sermo est: quoniam sunt illae velut rivuli è fontibus Juris derivati,
sive theoremata quae ex LL. prius deductis resultant. Est enim
hic titulus quasi Coronis titulorum praecedentium *Wesemb. in w.
d. V. S. in pr.* quoniam in angustum deducit, & quasi compendio
concludit jura illa propemodum omnia, quae à Triboniano ex in-
finitis antiquorum Jctorum libris collecta, & in certos titulos di-
gesta fuerunt. Quod ipsum quoque extra omne dubium sensisse,
videtur JCTus Paulus in *l. 1. D. b. tit.* quando *ex regula Jus non su-
mi, sed ex jure, quod est, regulam fieri* scribit. Cum itaque; ex Jure
regula fiat, necesse omnino est ut Jus prius cognoscatur. Ut enim
causa suo effectu notitia prior, ita & regula Jus, ex quo ea colle-
cta est, prius est & notius. Hinc Lex ex facto, hoc est, ex particu-
laribus casibus pro re nata incidentibus: Regula verò ex Lege sive
Jure formato ortum habere dicitur. Quocirca leges tanquam
voces & sonos singulos, regulam verò tanquam harmoniam &
concertum esse, quidam asserunt. *Hortoman lib. 2. observ. c. 18. Hae-
non. ad tit. hunc. disp. 1. quibus add. Philipp. Matth. hic n. 11. 12. & seqq
Dec. n. 3.*

De diversis JCTus titulum hunc non inscripsit simpliciter
de Regulis Juris, sed de diversis Regulis Juris antiqui, ut significa-
ret, non omnes, sed multiplices, & ferme potissimas hic reperiri
regulas. Variorum enim generum sunt, & causarum regulae sub
hoc titulo positae, collectae ex diversis Juris Civilis partibus, atque
ad triplex Juris objectum *per §. fin. I. de I. N. G. & Civ. accommodatae.*
Quae autem regulae pertineant ad personas, quae ad res, &
quae ad Actiones, videre licet apud *Wesemb. in w. b. tit. n. 5. 6. & 7.*
Caeterum in libris antiquorum Jctorum complures extant regulae,
quae titulo huic insertae non sunt. Sic praetermissa est in hoc
titulo illa; vim vi repellere licet: quam regulam scripsit Cassius
teste

teste Ulpiano in l. i. §. vim vi 27. §. l. quod est 7. §. cum igitur 9. D. de
vi, & vi armat. Ut & hæc: Qui non habet in are luat in corpore:
quam Juris regulam esse, præter Imperatorem Constantinum in
l. 4. C. de serv. fugitiv. satis quoq; ostendit Ulpianus in l. i. §. ult. D. de
pen. Neq; hic reperitur illa: Legatum falsâ demonstratione non
perimitur: Quam Juris Regulam vocat Imperator Justinianus in
§. huic proxima 30. Inst. de Legat. Idemq; Imp. Justinianus in §. sci-
endum 2 Inst. de Scto Orphii. similiter in regularum numero difer-
tè & hanc ponit: Novæ hereditates legitimæ capitis diminutione
non perent: cujusmodi regula tamen in hoc tit. non invenitur.
Neq; continetur sub hoc titulo illa: Juris ignorantia cuiq; nocet,
facti verò ignorantia non nocet, quam Juris Regulam appellat.
Paulus in l. regula 9 in pr. D. de l. & f. ignorant. Neq; extat hic il-
la regula: Judicis arbitrio relictum est, quod nec à Lege, nec ab
homine determinatum reperitur, cujusmodi regulam statuit Ul-
pianus in l. i. §. ult. D. de Jur. delib. Atq; hujus generis regulæ plu-
res passim occurrunt, quarum hic titulus ne verbo quidem men-
tionem facit. Idq; ipsum satis etiam arguunt regulæ istæ, quas
Cujac. ad tit. hunc notat atq; exhibet Pet. Fab. Philipp. Matth. Hubert.
Giphan. v. 4. §. 5. & alij ad Rubricam hic. Quemadmodum verò
non omnes regulæ sub hoc titulo comprehenduntur: ita nec eæ
omnes quæ in eo recensentur, regularum nomen vel authorita-
tem unquam habuerunt: quales sunt l. ea est 65. l. Neratius 191. & si-
miles Henon. disput. i. ad b. tit.

Regula] Regula in Jure nostro intelligitur, quod compendio
refertur, Jus antea specialiter & fufius expositum. Unde non se-
cus ex regula atq; è tripode respondemus. Nam jam ex Jure
constituito mutuata est, nec ipsa juri initium facit *Johann. Ferrar.
Montan. ad l. i. hic.* Quamvis regula quævis pro varietate circum-
stantiarum in aliquo vitietur, atq; perdat officium suum d. l. i. b. r.
vocalulum itaq; regulæ hic accipitur pro sententiâ quâdam ge-
nerali, quæ ex plurium legum mente à JCTis notata atq; animad-
versa, paucis verbis summam earum consensionem & tanquam
harmoniam complectitur. Differt autem lex à regula: quod illa
dicitur, quam populus certo & cognito omnibus Jure constituit:

Regula verò quam JCTI ex pluribus legum capitibus notatis inter seq; comparatis elicuerunt; ut non omninò incommodè dicere possimus, leges esse tanquam voces & sonos singulos: Regulam verò esse tanquam harmoniam & concentum *Hotoman. loc. sup. cit. & eod. Lib. Obs. 2. c. 4* Regulæ formam JCTus Paulus in *l. 1. D. b. tit.* elegantè tradit atq; describit.

Juris antiqui] Per Jus antiquum intelligi debet id, quod Juliani, Papiniani, Ulpiani, Pauli, reliquorumq; prisorum JCTorum tempore in usu fuit, atq; in 50. Pandectarum vel Digestorum Libris continetur. Dicuntur autem Pandectæ *δὲν τὴ πᾶν κῆ δέξουσι*: quia omnes Juris materias plenissimè tractatas continent. Digesta verò appellantur, quia Imperator Justinianus hæc jura non confusè proposuit, sed certo ordine digessit. *Pac. in prolegomen. de Lib. utriusq; Jur.* Neq; autem hoc solum Jus Pandectarum hic intelligendum, sed illud etiam, quod per Constitutiones istorum Imperatorum, qui temporibus veterum JCTorum modò dictorum vixerunt, introductum est. Id enim omne Imp Justiniano antiquum dicitur, quod ante illius tempora sancitum est, veluti *ex l. 1. C. de vet. Jur. enucl.* videre licet. *Hænon. disp. 1. hic Philipp. Mattb. n. 10. & alij Regulæ ad rubr. hujus tit.*

Lex I,

Regula est qua rem] Titulum hunc orditur Tribonianus à definitione regulæ, quippe quam ex JCTO Paulo brevem rei enarrationem definit. Notandum tamen, verbum REI hic non factum, de quo controversia est, hujus enim enarratio ad eos saltem pertinet, qui de re sive facto disceptant, sed Jus constitutum de rebus eodem modo inter se comparatis significare. Regula namque generalem sententiam proponit, quam JCTI in variis, eandem tamen rationem habentibus, causis decidendis secuti sunt. Quod ut perspicuum magis esse possit, uno atque altero exemplo declarare libet. Et primò quidem constat, jura marito assignare fructus rei dotalis, propterea quod onera matrimonii quoque sustinet *l. dotis fructum 7. in princ. D. de Jur. dot. l. pro oneribus 20. C. eod. Dn. Carpz. in Jurispr. For. part. 3. c. 23. d. 3. n. 11.*
Eadem

Eadem jura pinguedinem agri superioris deferunt agro inferiori, & quidem nullam aliam ob causam, quam quod superiori etiam ager inserviat inferior, ejusque incommodum excipit. *l. r. §. ult. D. de aqu. & aqu. pluv. arcend.* Sic & in societate totidem partes lucri jura ascribunt socio, quot damni partes ipsi addictæ sunt, quamvis nihil de lucro pactum vel conventum sit, uti videtur ex *§. illud expeditum est. 3. Inst. de societate. Dn. Carpz. l. sup. cit. p. 3. c. 15. d. 47. n. 2.* Hinc ergo regula facta est, quæ jus illud summam complectitur, videlicet ut commodum cujusque rei sequatur eum, quem & incommoda sequuntur. De quâ regula ad *l. secundum naturam 10. inf. h. 2* plura dicentur. Ita quoque manifestum est ex *l. sancimus 34. & l. penult. §. ult. C. de donationib.* donationem ultrâ quingentos aureos factam, totam non rescindi, sed usque ad 500. saltem valere, in residuum non valere, ne videlicet utile per inutile vitietur. Pari ratione heres testamentum, in quo alteri plus dodrante legatum est, totum & omni ex parte non infringit, sed eatenus illud irritum facit, quatenus legata dodrantem superant, juxta *§. quantitas autem 2. Inst. de Lege Falcidiâ.* Atq; eandem ob causam statutum est, ut, si usura supra legitimum modum in stipulationem deductæ sint, superfluis detractis, stipulatio intra legitimum modum valeret. *l. pecunie 6. l. usuras 20. & l. placuit 29. D. de Usur. add. Dn. Carpz. d. l. part. 2. c. 30. d. 1. & vid. ibid. præjud.* Idq; in Camerâ Imperiali quoq; conclusum fuisse refert *Gail. lib. 2. præf. obs. 4. n. 6.* quibus ipsis quoque plurimum lucis adferunt ea, quæ idem *Gail. eod. lib. Obs. seq.* elegantior tradit, atq; explicat. Ejusdemque rei exemplum de mandato certæ summæ extat in *§. is qui exequitur 8. Inst. de mand. dat.* Cui & *Jctus Paulus in l. 3. §. ult. Gajus in l. 4. D. eod. tit.* consentiunt. Hinc igitur extracta est hæc regula: Utile per inutile vitari non debet. *c. utile 37. de Regul. Jur. in 6.* cujusmodi regula totum illud Jus, ex quo causæ prædictæ fuerunt deductæ, quam brevissimè comprehendit.

Non ex regula Jus sumatur, sed ex Jure, quod est, regula fiat. His verbis haud obscurè innuitur, regulam tempore posteriori esse Jure specialiter constituto. Regulæ namque in hunc finem.

finem collectæ non sunt, ut ex illis PRINCIPALITER jus pete-
retur, sed ut per illas simpliciter, & quoad ejus fieri potest, brevit-
ter exponeretur Jus, quod ante de casibus similibus constitutum
est. Interim tamen per CONSEQUENTIAM ex regulis Jus
quoq; sumitur, quatenus nimirum illæ ex jure, hoc est, ex obser-
vatione Juris desumptæ sunt. Nunc enim cum extractæ sint,
id opere juris sectatoribus præstant, ut ex iis similia judicare, de-
que his, quæ expressè decisa in jure non sunt sententiam ferre,
possint. Imò & hoc commodi quoque regulæ Juris præbent,
quod ex iis rationes eorum, quæ constituta sunt, ut plurimum,
peti possunt V. C. Si aliquis scire veller rationem, quare furiosi
injuriarum teneri nequeant, per l. 3. §. 1. D. de injur. commodissi-
mè eam petere poterit ex l. furiosi 40. inf. h. tit. Cum enim furiosi
nulla sit voluntas, sequitur quod absque ejus animo atque vo-
luntate committi non possit d. §. 1. l. qui injuria 55. in pr. D. de furt.
& l. 1. C. si advers. debitor. vid. Johann. Fernar. Montan. in Comment. bico
Hippolyt. à Collibus ad hanc l. 1. pag. 7.

Quasi causa conjectio est] Non dixit Jus regulam esse causæ
conjectionem, sed QVASI esse. Quo ipso quid sit regula plen-
ius ostenditur, & quidem per similitudinem. Quemadmo-
dum enim causæ conjectio rem, cognitis utrinque Actoris & Rei
argumentis, strictè & angustè continet: Ita regula similibus ca-
sum in Jure decisorum summam quandam complectitur. Gi-
phan. hic n. 6. Henon. disp. 1. ibid. Ut sic regula sit quasi causæ
conjectio, hoc est, rei in breve coactio. Philip. Matth. hic n. 16. Ho-
roman. Lib. 2. obs. c. 18. Minimè tamen legendum est CON-
JUNCTIO uti vult Dec. n. 10. hic tum quod hæc lectio contra-
ria sit Libris Florentinis, tum quod interpretationem ejus à Dec.
loc. cit. appositam dictio QVASI infringat, quippè quæ in isto
seculu profusè abundaret. Hotomann, loc. sup. cit. Philip. Matth.
hic n. 17.

Quæ simul cum in aliquo vitiata est, perdit officium suum] His
verbis iuculenter innuit, Regularum eam autoritatem non esse,
ut in quibusvis casibus attendi illas oporteat: cum vix ulla Juris
regula tam firma sit & generalis, quæ non exceptionem aliquan-
do

do pro circumstantiarum diversitate patiatur. Exceptiones a-
nim à regula desciscunt faciunt, ut officium suum ea perdat.
Atque hoc est, quod JCTUS in l. omnis definitio 202. h. tit. dicit:
Omnem definitionem (id est, regulam, *Philipp. Matth. ad d. l. 202.*)
in jure periculosam esse, parumque esse, ut non subverti possit.
Exempli gratia, regulà Juris cautum est, ne dominus servi fugi-
tivi possessionem amittat l. rem qua vobis 15. D. de acquir. vel amitt.
possess. Hæc regula officium suum perdit, si servus iste fugitivus
ab alio possessus sit, vel diu pro libero sese gesserit, atque iudicio
etiam liberali sese offerat. l. 1. §. per servum, & l. 3. §. si Servus D. de
acquirend. vel amittend. possess. Ita etiam vetus Juris regula est:
Vim repellere licet l. ut vim 3. D. de J. & J. Verum subvertitur
hæc regula, si ex intervallo quis vim sibi factam repulerit, aut
moderamen inculpatæ tutelæ non servaverit l. 3. §. cum igitur D.
de vi & vi armat. Licet enim defensio omni jure permilla est.
l. scientiam 45. §. qui cum 4. D. ad L. Aquil. Attamen à jure Civi-
li ad formam quæ dar esse rei l. Julianus 9. §. si quis rem 3. D. ad Ex-
hibend. reducta est, ut scilicet fiat cum moderamine inculpatæ
tutelæ arg. l. 1. C. unde vit. significasti 18. x. de homicid. Et dicitur in-
culpatæ tutelæ secund. Barthol. in d. l. 1. quando quis aliter se de-
fendere nequit: Illa enim dicitur propriè defensio necessaria.
Eine Rechte Nothwehr d. l. scientiam 45. §. qui cum aliter 4. D. ad L.
Aquil. add. Constit. Imperial. In der Peinlichen Halsgerichts
Ordnung. So einer jemand mit einem tödtlichen Wassen oder
Wehr uberlaufft &c. 140. In quibus autem hoc moderamen in-
culpatæ tutelæ consistat, videre licet apud Schneidw. ad §. 1. & seqq.
Inst. de jur. N. G. & Civ. n. 15. & seq. Exemplis pluribus hanc ex-
plicationem illustrent Regulistæ hic & post eos Giphart. n. 7. §. 9.
hic, Philip. Matth. n. 26. 27. 28. & seq. ibid.

Lex II,

Fœmine] Masculorum quovis tempore potiorum fuisse ha-
bitam rationem, quàm fœminarum, ex jure tam divino, quàm
humano luculenter demonstrari potest. Constat namq; de
sub-

B

sub-

subjectione earum viris debita *ex c. 3. Genes. vers. 16. 1. ad Corinthe.*
c. 14. v. 34. 1. ad Timorb. c. 2. vers. 12. &c. Neque humano jure
fœminas secus habitas fuisse, vel ex eo apparet, quod Papianus
in l. in multis 9. D. de stat. homin. fœminarum conditionem in
multis Juris nostri articulis deteriorem quàm masculorum esse
disertè scribit. Hinc sub masculino tanquam magis digno, con-
tinentur *l. 1. D. de V. S.* Et tutor datus filiis etiam filiabus datus
censetur *l. 16. D. de testam. tut.* non contra. Nam exemplo pessî-
mum est fœminino vocabulo & masculos contineri, ut ait J Ctus
Pomponius *in l. si ita sit 45. in pr. D. de Leg. 2.* Quemadmodum
verò in multis Juris articulis deterior est conditio fœminarum,
quàm masculorum *h. in multis 9. D. de stat. hom.* Ita quoq; contrà
in multis ob fragilitatem fœminis Jura succurrunt atque subven-
iunt, tum in Civilibus, tum in Criminalibus. Et quidem in
Civilibus hoc singulari Jure utuntur. 1. Citius pubertatis an-
nos attingunt, quam masculi, scilicet 12. completo à quo viri po-
tentes creduntur *pr. Inst. de Nupt. & pr. Inst. Quib. mod. tut. fin.* Cu-
jus effectus insignes sunt, partim in nuptiis in eundis *d. pr. Inst. de*
nupt. partim in tutelâ finiendâ *d. pr. Inst. Quib. mod. tut. fin.* partim
denique in testamentis condendis & ordinandis *arg. l. à qua etate*
5. D. Qui testament. fac. poss. 2. Biennio citius quàm Mares ve-
niam etatis impetrare possunt, scilicet anno 18. completo *l. om-
nes 2. §. fœminas 1. C. de his Qui veniam etat. impetr. & quidem pro-*
bato tantum annorum numero 5. testibus vel instrumentis mis-
so procuratore. Masculi contra demum 20. anno comple-
to veniam petere possunt *d. l. 2. in pr. ut & numerum annorum*
atque instituta morum animique probitatem simul per instru-
menta & testes coram competente Magistratu in propriâ perso-
nâ probare coguntur *d. l. 2. in pr. junct. §. sed Senatores 2. C. eod.*
3. In Ipsarum favorem SCtum Vellejanum introductum est, quo
cavetur, ut ex fidejussione sua regulariter non teneantur *l. 1. 2. &*
fermè tot. tit. D. & C. ad SCtum. Vellejan. nisi vel expressè renuncia-
verint eidem *l. ult. §. si mulier 4. D. eod.* vel post biennium iterato
intervenerint *l. si mulier 22. C. eod.* De quâ re inferius plura dis-
centur. 4. Uxores ratione Dotium tacitam hypotheticam cum
Jure.

Jure prælationis habent, cujus vigore de jure Civili omnibus anteriorem expressam *l. astiduis 12. §. 1. C. Qui pot. in pign. l. in rebus 30. C. de Jur. dot. Nov. 97. c. 3. N. 109. c. 1.* de Jure Saxonico tantum tacitam (scil. anteriorem) hypothecam habentibus præferuntur. *N. G. Ordn. tit. 34. in princ.* In Criminalibus in multis casibus foeminis quoque succurritur. Quandoquidem mulieres in eodem delicti genere mitius puniuntur. *l. sacrilegii 6. D. ad L. Jul. peculat. l. si adulterium 38. §. fratres 4. §. incestum 2. D. ad L. Jul. de adult. & ad alias poenas ordinarias evitandas Jure masculorum impuberum gaudent usque ad 14. annum P. G. Ordnung art. 164.* Cum duodecimus annus pubertati præfixus sit, saltem in favorabilibus. Item Mulier prægnans, quæ ultimo supplicio damnata est, servari & poena differri debet, donec pariat. Sicut nec interim quaestioni subijci nec torqueri potest. *l. Imperator 18. D. de stat. hom. l. prægnantis 3. D. de poen. Land N. Lib. 3. art. 3. Schneidw. ad tit. Inst. de ingenuis n. 4.* Plura beneficia Juris sexui foeminino competentia hîc loci enumerare propositi nostri non est. Deterioris verò conditionis mulieres in multis esse, tum *ex l. sup. alleg. 9. D. de stat. hom.* manifestè apparet, tum etiam ex textu nostro satis abundè constat; quando nimirum ab omnibus officiis civilibus vel publicis arcentur & remotæ sunt. Minimè tamen exinde sequitur foeminas homines non esse per *c. 1. Genes. vers. 27. l. hominis appellatione 152. D. de V. S.* Fallit itaque *Cujac. Lib. 6. obs. 21. qui per l. si quis 38. §. qui abortionis D. de poen.* foeminam hominem esse negat. Ejus enim opinionem satis superque refellunt textus modo allegati. In *d. verò l. 38. §. qui abortionis* mulier & homo non opponuntur adversè, sed relativè: quia conjunctim dixerat de poculo abortionis vel amatorio: Si illo mulier, hoc homo, id est foetus in utero perierit. Non igitur illo loco homo à muliere distinguitur, quasi mulier propriè homo non esset: Sed relatio fit ad membra disjuncta præcedentis orationis. *Treutl. vol. 1. dist. 2. th. 1. l. C. & ib. Reinhard. Bachov.*

Ab omnibus officiis civilibus vel publicis] Particula VEL hoc loco disjunctiva non est, sed eandem utriusque vocis significationem extra omne dubium inducit. Neque hoc in Jure nostro

novum est, ut disjunctio pro conjunctione aliquando accipiatur: nam & Imperator Justinianus in *l. penult. C. d. V. S. interdictum QVOD VI AUT CLAM* non secus habet, ac si *QVOD VI ET CLAM* inscriptum esset. Prout id *Alciat. in l. conjunctio- nem 29. n. 3. D. de V. S.* pluribus declarat, *Philip. Matth. hic n. 5.* Minime itaq; voluit Ulpianus officia publica à civilibus discernere, sed potius declarare, publica sese nominare eadem illa officia, quæ aliàs civilia vocantur. Et hanc Ulpiani mentem fuisse, ex sine *h. l.* satis apparet, ubi sub *CIVILIBUS* comprehendit omnia ista officia, quæ initio civilia, vel publica esse dixerat. Cui consentit etiam *JOTUS in l. ult. §. hæc omnia D. de munerib. & honorib.* ubi similiter civilia officia interpretatur de muneribus publicis. Sicuti & ea quæ officiis hinc adscribuntur, alibi munera appellantur *l. quippe 78. D. de Judic. d. l. ult. §. defensores, cum §. seq. D. de munerib. & honorib.* Eodemque facit *l. pen. D. de vacat. & excusat. muner.* ubi idem ille Ulpianus judicandi munus, quod Paulus in *d. l. 78.* publicum vocat, officiis civilibus annumerat. *Petr. Fab. hic n. 10. & 11. & Johann. Ferrar. Montan. Diss. Dec. & Cagnol. hic n. 2.*

Remota sunt] Propter innatam inconstantiam, consilii incertitudinem & imbecillitatem *arg. c. forus 10. x. de V. S. ibi: Varium & mutabile.*

Et ideo nec judices esse possunt] Judex dicitur quasi Jus dicens populo, sive quod Jure disceptet. Jure enim disceptare est justè judicare. Non est ergò Judex si non est in eo Justitia *c. forus 10. X. de V. S.* Nec debet flecti irà, odio, precibus, aut amicitia *c. judicet 3. q. 7.* sed fungi officio boni & innocentis viri *l. cetera 4. §. mala medicamenta 1. D. famil. ercisc.* Unde etiam in Jure nostro vic bonus appellatur *l. 137. §. 2. D. de V. O.* Sunt autem multæ species judicum. Quidam enim sunt Ordinarij, qui Imperium, Jurisdictionem, & plenissimam causarum cognitionem, vel suo Jure habent, vel à Pontifice, ut sunt Episcopi, vel Ecclesiastici Magistratus, vel ab Imperatore, ut sunt seculares Principes, vel à Legge, universitate & consuetudine sibi concessam *c. omnes dist. 22. c. à judicibus 2. q. 6. l. more majorum §. D. de Jurisdic. l. cum Prator 2. §. 1. l. pen-*

l. penult. D. de judic. l. Omnes 12. C. eod. de quibus est tit. X. de offic. jud.
ordin. Quidam extraordinarij, qui non Jure suo, nec Principis
beneficio, nec universalem jurisdictionem habent, sed limitatam
& praescriptam, cujus fines diligenter custodire tenentur c. super eo
X. de offic. deleg. c. nonnulli & c. cum dilecto X. de rescript. Et hi vel
ex commissione ordinarij judicis constituuntur, ut delegati, vel
voluntate & electione partium, ut arbitri & arbitratores. c. sane 11.
& c. cum olim 33. X. de offic. & potest. judic. deleg. Delegati sunt
quibus ex commissione superioris jurisdictio & causae cognitio
delegata est: eoque nihil proprij habent, sed vices delegantis agunt.
c. super 27. X. de offic. & potest. deleg. l. 1. §. 1. qui mandatam D. de offic.
ejus cui mand. est jurisdict. Et solent hodie judices delegati alio
nomine Commisarij appellari. de quorum offic. vid. tit. & ib. Ca-
nonist. X. de offic. & potest. jud. deleg. & Legist. in tit. D. de offic. ejus
cui mand. est jurisdict. Johann. Emeric. à Rosbach. in prax. Civil. tit. 5.
Qui ex voluntate & consensu partium eliguntur, dicuntur arbitri,
& hi sunt triplices. Alij enim sunt arbitri juris, alij arbitra-
tores, alij compromissarij. Arbitri juris dicuntur, quando hi, qui-
bus aliqua causa cognoscenda committitur, tanquam suspecti re-
cusantur, quia periculosum est sub suspecto judice litigare. c. quod
suspecti 3. q. 5. & lites sine suspitione procedere debent l. apertissimi
16. C. de judic. per partes eliguntur arbitri, qui de causa principali
judicant, sicut illorum sententia per primum delegatum judicem
recusatum executioni mandanda sit, si modo ab illorum senten-
tia appellatum non sit ad delegantem d. l. apertissimi l. fin. C. de Ju-
dic. c. ab arbitris 11. de offic. & potest. judic. deleg. in 6. Arbitratores
proprie vocantur arbitri electi à partibus ad causam & contro-
versiam amicabiliter componendam & transigendam. Ein
willfährlicher Schiedsman/auff welchen die Part ihre Sachen stel-
len/das er die nach seinem besten Verstandt söhnlichen handele/ und
darinnen schlechts und ohne Form des Gerichts fortfahre. Arbitri
verò compromissarij, quos vulgo willfährliche Schiedsrichter ap-
pellamus, sunt hi, in quos voluntate & non necessitate juris à par-
tibus est compromissum, & eliguntur à partibus ut judices, con-
cediturque eis à partibus voluntarie potestas pronuntiandi super
causa



causa. Vid. Johann. Emeric. à Rosbach in prax. Civil. tit. 6. Schneidw. ad § omnium i. Instit. de Act. n. 25. 26. & seqq. Fæminæ itaq; cum ab omnibus civilibus sive publicis officiis arcantur, nec iudices, regulariter esse possunt, non quia iudicium non habent, sed quia receptum est, ut civilibus officiis non fungantur l. 12. §. pen. D. de iud. seu quia moribus civilia officia fæminis adempta sunt. Et quidem in specie quod fæminæ ex compromisso arbitrium recipere non possint, docet Imperator Justinianus in l. ult. C. de recept. arbitr. Hodie verò usu & consuetudine, atq; Privilegio Principis hæreditaria ICDTione mulier fungi & iudicare potest. Emeric. à Rosbach. in prax. Civili tit. de Iudice 4. ex Dec. hic. De quibus insequentibus plura reperiuntur.

Nec Magistratum gerere] Quia nimirum Magistratus honor est l. rescripto 6, in princ. & §. cæterum D. de Munerib. l. 1. §. corporalia eod. l. Imperatores 38. D. ad municipal. Cum verò fæminæ honoris participes fieri nequeant, nisi per maritos l. mulieres C. de dignitat. l. unio C. de mul. in quo loc. sequitur etiam quod Magistratum gerere non possint. Verum regula hæc quod videlicet mulieres ad Magistratum admitti non debeant officium suum perdit, si contrarium consuetudine receptum sit. Cum enim moribus officia publica fæminis adempta sint, more sive usu contrario etiam illæ ad officia ejusmodi admitti possunt per c. 4. x. de arbitr. Quandoquidem neque Jure Naturali neque Civili perpetuò, prohibitum esse mulieri Imperium, exercere in subditos vel maximè ex eo apparet, quod Jure feudorum ad successiones Regnorum, Ducatum & Comitatum etiam fœmiæ admittantur, modo tamen filii masculi deficiant c. un. §. filia 2. F. 3. Huc etiam facit quod usu receptum sit, ut fœminæ in feudum aliquid dare possint c. 1. §. fœminam 2. F. 3. Id quod multis argumentis & exemplis probant Politici & JCTI. Johan. Casus in Sphæra civitatis Lib. 1. c. 3. Lips. lib. 2. Polit. c. 3. Bronch. cent. 2. misc. ass. 81. & magn. num. Dd. alleg. à Treutl. vol. 1. disp. 8. th. 1. L. A. Hanon. disp. 1. hic. Deinde prohibitio hujus regulæ locum non habet, quando Magistratus mulieri jure hereditario competit. Hujus exceptionis ratio ex modo dict. desumi potest. Interim insigne exemplum reperitur in Domina Elisabetha Regina Angliæ, quæ sceptrum Regium

Regium, Regniq̄ue administrationem, quasi per manus Regum
paternorum accepit, eidemque Regno ad Republica Anglica-
na salutem felicissimè præfuit. Idem tradunt *Dd. de Johanna-*
Sicilia Regina. Philip. Matt. ad b. l. n. ii. Dec. ib. n. 3. Denique re-
gulæ huic locus non est, si mulier speciali privilegio, sive Princi-
pis indulgentiâ magistratum ac judicandi munus meruerit.
Qvo pertinet exemplum *Deboræ L. Judic. c. 4. Philip. Matth. hic v.*
12. Dec. ibid. n. 5. ubi aliquot fundamenta hujus exceptionis recenser.

Nec postulare] Postulare est desiderium suum, vel amici sui,
hoc est, alterius cujus negotium geritur, in jure apud eum, qui
JDctioni præest, exponere, vel alterius desiderio contradicere.
l. §. postulare 2. D. de postulando. Nam & qui contradicit, vel exci-
pit, postulat aliquid: quia effectu petis, se à postulatione adver-
sarii absolvi. Postulare porò aliud est, quam procurare. Nam
procurandi verbum, propriè ad curam alienorum negotiorum,
refertur *l. i. in pr. D. de procurator.* Postulare autem quisque dici-
tur in judicio, sive suo nomine quid petat, sive alieno. *d. l. i. D. de*
postuland. vid. pl. infr. ad verb. nec procuratores existere. Postulare
autem omnes possunt, qui non prohibentur *l. mutus 43. §. cum*
queretur 1. D. de procurat. Prohibentur a. postulare, quidam edicto,
quidam lege, quidam sententiâ Judicis. *de quib. W. semb. in x. de*
postul. n. 2. Quod ad foeminas attinet, ea rectè ex secundo ordine
edicti vetantur pro aliis postulare *d. l. i. §. secundo loco s. v. sexum*
D. eod. Remotum est enim à pudore sexus eas, virilibus officiis
fungi *l. C. Quand. mul. tut. offic. l. alienam 18. C. de procuratorib.* Viri-
le autem est officium, alienæ causæ præesse, intercedere, & patro-
cinari *d. l. 18. C. de procurator. l. non distingvemus 32. §. si mulier 2. D.*
de recept. arbit. l. neq. foemina 54. D. de procuratorib. atque adeò Civi-
le & quodammodo publicum *Dec. ad b. l. 2. n. 9.* Officia autem pu-
blica & civilia virorum sunt non mulierum, *per text. mod. allegat.*
Quare ne pro liberis quidem matres in judicio postulare possunt
l. liberto 31. §. quanquam 6. D. de negot. gest. etiamsi aliena negotia
extra judicium rectè exequantur. *d. l. 71. §. 6. D. eod.* Hodie autem
moribus Sax. non solum pro alio, sed etiam pro se postulare mu-
lier prohibetur: nec habet legitimam personam standi in judi-

elo; sive agat, sive defendat. Unde illi curator seu tutor in litem dari solet ac debet. *Wesemb. in c. de postuland. n. 4. add. Process und GerichtsOrdn. tit. 8.* Wie die Weibspersonen vor Gericht handeln mögen. *ib. auß Richterlichen Anpfl / Kriegische Vormünder zu ihrer Klage und Antwort verordnet werden.*

Nec pro alio intervenire] Verbum intervenire, vel intercedere generale est, comprehendens sub se quinque modos, ita ut sint quinque genera personarum, quæ pro aliis fidem suam interponere solent. Intereas sunt 1. Fidejussor, qui pro alio per solennem stipulationem intercedit, de quo *tit. Inst. D. C. Ex. de fidejussor.* 2. Mandator. de quo *l. si mandatu meo 13. D. de fidejussoribus* qui sine solennitate verborum solo consensu obligatur, & regulariter semper obligationem præcedit *l. si vero non remunemur di 12. §. si post creditam 14. D. mandati.* 3. Constitutor, qui per nudum pactum constituit se soluturum, quod alius debet: & is semper sequitur principalem obligationem jam contractam de quo *§. de constituta 9. Inst. de Actionib.* 4. Sponsor, qui sponte & non rogatus pro alio intercedit, & accessorie quoque obligatur, habens mandati actionem contra principalem debitorem, si aliquid ejus nomine solvit *l. qui patitur 18. D. mandati Angel. ad rubr. Inst. de fidejussorib.* 5. Expromissor, qui principaliter se obligat, pro non obligato, id est, pro eo qui non poterat efficaciter obligari. Neque accedit obligationi, sed eam totam in se suscipit, quasi alienæ obligationis vicarius. V. C. Servus Domino obligari non potest: Ergo nec fidejussorem dare; at expromissorem rectè dat, qui suo loco promittit *l. §. eleganter 7. §. servus 8. D. de dol. mal. junct. l. cum servus 104. D. de V. O. l. qui libertinus 37. in fin. D. de oper. libert.* Et licet aliquando pro fidejussore ponatur, id tamen improprie sumpto vocabulo procedit. Constat enim ex modo dictis fidejussorem ab expromissore differre. Imò fidejussor cum alio obligatur; Expromissor verò solus, quasi reus principalis. *Gothofr. ad. d. l. 37. in fin. l. G.* Sed jam ad rem ipsam. Mulier itaque, pro alio intervenire non potest, sive verbis, sive re, sive quocunque alio contractu obligationem alienam in se suscipiat, suasve res alterius causa oppignoret. Cum enim in hujusmodi casibus periculum etiam rei familiaris versetur, forminæ beneficio **SCTI VELLE**

VELLEJANI tuta sunt, ita ut nec conveniri eo nomine possint. *l. 1. §. nam. sicut. 1. l. §. primo 2 §. post. 1. §. omnis 4. D. ad SCT. Vellej. l. si paternam 8. l. antique 23 in sin C. eod. Nov. 134. c. 9.* Hujus autem SCTi summa hæc est: ne mulieres intercedant pro aliis: & si intercedant, hic sit effectus, ne eo nomine adversus mulieres efficax actio competat. Quod ita Senatus censuit ad opem mulieribus ferendam, quæ per sexus imbecillitatem *d. l. 2. §. verba 2. D. ad SCT. Vellejan.* Maritalibus atque aliis blanditiis in fraudem, suscipiendumque sponsonis onus, illiciti facile posse videbantur. Nam spondere in initio leve videtur, utpote cum solam voluntatem sponso, nullam autem pecuniæ præstationem requirat, ut non difficulter ad id, vel & ad bonorum oppignorationem, infirmus muliebris animus perducì possit. Jura igitur mulieri pro alio intervenienti succurrunt, vel ipso jure, vel remedio judiciali. Ipso jure si intercessit mulier absque publico instrumento à tribus testibus obsignato *l. antique 23. §. ult. C. ad SCT. Vellejan.* Remedium judiciaire, quo mulieri pro alio intervenienti subvenitur, est vel Exceptio, vel replicatio, vel conditio. Quæ remedia locum habent, quando de intercessionemulieris publicum instrumentum minus idoneum (puta, si mulier beneficio huic non renunciavit) confectum est, *arg. d. l. 23. ub. Bald. C. ad SCT. Vellejan. Bocer. cl. 2. disp. 16. th. 34. §. 35.* Quemadmodum verò vocabulum intervenire generale est: Ita etiam in genere omnis obligatio SCTo hoc comprehenditur *l. §. primo 2. §. omnis 4. D. ad SCT. Vellejan.* Mulier ergò sive fide jubeat. *l. si Titius 48 in pr. D. de fidejussorib.* sive mandato suo pro alio intercedat *l. si fidejussores 6. l. seq. l. tutor. 19. in pr. D. ad SCT. Vellejan.* vel etiam expromittat. *l. senatus consultum 4. l. si mulier 16. C. eod.* aut novam obligationem pro alio suscipiat: Veluti si cum alius esset mutuam pecuniam accepturus, ipsa interposito sit, quæ acciperet, & se ab initio Ream constitueret *l. quamvis 8. §. si cum 14. D. eod. d. l. 4. l. cum ad eas 19. C. eod.* vel res suas *d. l. 8. in pr. D. eod. l. si dotare 12. C. eod.* aut sibi obligatas *vir uxori 17. §. si mul. 2. D. eod.* SCTo Vellejano adjuvatur, etiam si pro patre, filio, vel alio conjuncto intercedat *d. l. 2. §. fin. D. d. iit.* Ita adjuvatur autem mulier, ut si

C

cx

ex intercessione conveniatur, excipere de SCTo possit: sin vero
quid præstiterit, solverit, delegarit, condicere *d. l. quamvis inter-*
dum 3. D. eod. unà cum fructibus *l. si mulier 32 §. 1. D. eod.* Neque
enim hæc exceptio quamvis omiſſa, conditionem indebiti so-
luti impedit, cum sit in favorem mulierum introducta *l. qui ex-*
ceptionem 40. D. de Condict. indeb. & totam obligationem SCTum
improbet l. si mulier 16. in fin. D. de SCT. Vellejan. Atque hujusmo-
di remedia mulieri, quæ pro alio intercessit competentia, ejus
quoque fidejussoribus profunt. *l. quamvis 8. §. sed si is 4. D. eod. l.*
mulierem 14. C. eod. Illud tamen hic notandum est, quod licet
mulieri pro alio intercedenti prædictis modis succurratur, cre-
ditori tamen in principalem debitorem ex æquitate competen-
tes actiones dari, ne defraudetur hæc ratione creditor *l. 1. §. ult. d.*
l. 16. in fin. D. d. tit. l. antique 23. §. 1. C. eod. Denegantur autem mu-
lieri isthæc juris beneficia, si callide versata sit *l. Et primò 2. §. sed*
ita 3. l. si decipiendi 30. D. eod. Si in rem vel utilitatem suam inter-
cesserit *l. aliquando 13. l. si pro aliquo 21. l. seq. D. eod.* Si donationis be-
neficiam in aliquem contulerit *l. sed si ego 3. §. 1. D. d. tit. Senatus*
enim obligatæ mulieri succurrere voluit, non donanti. Cum
quia facilius se mulier obligat, quam donat *d. l. 4. §. 1. tum quod*
mulieri adultæ in contractibus quos suo nomine gerit, non ut
minori succurritur *l. si mulier 32. in pr. D. eod.* Cessant quoque
hæc beneficia si quod ipsa gesserit alium ratum habiturum pro-
miserit *l. si mulieri 15. D. eod.* Si pro foeminâ nubente dotem con-
stituerit, aut pro eo qui dotem promisit, fidejusserit. *l. si dotare*
12. l. generaliter 25. C. eod. Si post bienium denuò intercesserit
l. si mulier 22. C. eod. Si ut servus manumitteretur intercesserit
leg. veterum 24. C. eod. Si quodam lucro impulsa fidejusse-
rit *leg. antique 23. in pr. C. eod.* Si veterem obligationem
mutando delegari se debtricem patiat. *l. debtrix 24. D. eod.*
Si ei pro quo intercessit heres existat *l. quamvis 8. §. planè 13. D. eod.*
Si tutelam suorum liberorum suscipiens auxilio SCTi Velleja-
ni renunciaverit, *l. ult. C. quand. mulier tut. offic. fung. Nov. 94. c. 2.*
Nov. 118. c. 5. Caterum quæ hic breviter delibata sunt ea uberius
& lat,



& largius, imò per quàm plura alia ad hanc materiam pertinen-
tia pertrahat *Dn Zang. in trakt. de Except p. 3. c. 11. usq. ad n. 150.* De-
nique videbimus, an mulier renunciando SCTo Vellejano
OMNINO perdat ejus beneficium? & omisissis superfluis sta-
tuimus: mulierem per renunciacionem necessariam, puta quæ
firratione tutelæ, beneficium SCTi perdere. Per voluntariam
tùm demum quando eam certio ratio præcessit. Unde conclu-
dimus. Si mulier de hoc suo jure certiorata, & in specie edoc-
ta sit, & ei tandem etiam extra judicium renunciavit, non juvatur
SCTo Vellejano. Quilibet enim favori pro se introducto re-
nunciare potest *l. pen. C. de pact. junct. l. 1. §. 2. l. 2. §. 2. D. ad SCT. Velle-
jan. add. l. jubemus 21. C. eod. ult. §. penult. D. eod.* Facit etiam elegans
textus in *l. si mulier 22. C. eod.* ubi mulier post biennium de-
nuò intercedens, Vellejano renunciassè ipso facto intelligitur,
ideò quod exinde non consilii infirmitas, sed constantia appa-
reat. Ut tamen legitime dicatur fieri renunciatio, mulier prius
de beneficio suo, quod ignorare præsumitur, *arg. l. regula 9. in
pr. D. de f. & f. ignorant.* Specialiter edocenda & certioranda
est; tum quod & aliàs generalis renunciatio, *gemeinet verjugs*
non valeat quoad ea de quibus renuncians tempore renuncia-
tionis non cogitavit *arg. l. qui cum 9. §. per fallaciam 2. & 3. D. de
transacionib. l. tres fratres 35. D. de pact.* tum etiam quod per talem
certiorationem præcedentem omnis persvasio fraudulosa abse-
se præsumatur *arg. l. alleg 35. in fin. ib. qui fraudem à Titio commis-
sam ignorantes D. de pact.* Debet autem mulier à Natario non à
creditore certiorari *Hering. de fidejussorib. c. 7. n. 475. & seqq. Berl.
p. 2. c. 19. n. 47.* Et cum circa renunciacionem extrajudicalem in-
ter *Dd.* magna sit dissensio, tutius esset creditori in judiciali re-
nunciacione certioratione interponere. *Bernb. Græve præf. concl.
& consid. Lib. 2. concl. 27. n. 7. Gail. Lib. 2. obs. 77. & Lib. 2. obs. 48. n. 12.
Andr. Facb. Lib. 2. contr. c. 60. Hen. d. Inst. 3. contr. 7. Phil. Matth. ad l. 3. n.
22. Schneidy. ad §. fin. Inst. de fidej. in fin. Bocer. cl. 2. disp. 17. tb. 42. & cl.
§. disp. 12. tb. 27.* Quod si mulier non certio retur de suo jure, sed
juramento interposito renunciaverit, nunquid valebit renun-
ciatio?

clatio? Affirmativam sententiam amplectentibus calculum
nostrum addimus *per c. ex rescripto 9. c. cum contingat 28. x. de jure-
jurand.* Hoc enim casu virtute juramenti mulier efficaciter
obligatur etiam si non sit de Vellejano certior reddita. *Hartm.
Lib. 2. tit. 30. obs. 3.* quia juramentum loco certificationis est, &
censetur mulier virtute juramenti omni LL. ac juris auxilio re-
nunciassse *Gail. d. Lib. 2. obs. 77. n. 10. Bocer. d. cl. 6. disp. 12. ib. 28. Bernb.
Grev. d. lib. 2. concl. 77. n. 17. Fering in. tract. de fidejussorib. cap. 7. n.
n. 507.* nisi enormiter læsa sit. Cùm enim ex enormi læsione
dolos præsumatur. *arg. l. omnes 17. §. Lucius 1. D. Quæ in
fraud. credit l. si supersite 3. C. de dol. mal. & juramentum*
non debet esse vinculum iniquitatis *c. quanto 18. x. de jure-
jurand.* meritò erit absolvenda. *Gail. d. Lib. 2. obs. 77. n. 11. Fa-
chin. Lib. 2. controvers. c. 61. Zanger. d. p. 3. c. 11. n. 164. & seqq.* Quæ verò
dicatur enormis læsio arbitrio judicis permittunt *Dd. Treutl. vol.
1. disp. 25. ib. 5. lit. C.* Consuetudo verò Juris Saxonici, quæ renun-
ciationis itidem valent, etiam absque juramento cætenus est de-
clarata *per Nov. Elect. Aug. p. 2. c. 16.* ut mulier natu major, si perso-
naliter se obliget pro marito, & renunciet SCTo Vellejano in
judicio auctoritate curatoris, beneficio hujus SCTi tum non ju-
vetur *Dn. Carpz. ibid. def. 10.* extra tamen res dotales in donatio-
nem propter nuptias vel dotalitium constitutas, in quibus re-
nunciatio beneficii non admittitur, nisi fuerit jurata. *Dn. Carpz.
d. l. def. 1.* Licet valeat renunciatio quandoque absque juramen-
to facta, potissimum ijs in locis ubi hoc moribus fuit introdu-
ctum. Habet enim consuetudo vim legis *l. de quibus 32. D. de LL.
& tolerabilia sunt quæ vetus comprobat consuetudo l. Imperato-
res 13. D. de pollicationib. Dn. Carpz. d. p. 2. c. 16. def. 7.* Renunciatio-
nem tamen mulieris etiam illustris factam sub dignitatis splen-
dore *Deh Fürstlichen oder Gräfflichen Ehren/Tremen vnd glau-
ben* renunciationi juratæ non æquipollere in *Elect. Sax. tradit. Dn.
Carpz. d. l. def. 5.* Eodem modo per renunciationem factam sub
promissione fidei, *An Eydes statt/vnd beym Wort der ewigen War-
heit &c.* beneficium Vellejanum non amitti *def. 6.* Cui quidem
contradicit *Finkelib. obs. 116.* Verum, hæc omnia optimè ex-
plicat



uplicat *Dn. Zanger. in d. tract. de Exceptionib. p. 3. c. 11. à n. 163. usq. ad n. 203. & seqq.*

Nec Procuratores existere.] Procurator est, qui aliena negotia mandatu Domini administrat. l. 1. in pr. D. de Procuratorib. Et est alius judicialis, alius extra judicialis: ille in iudicio, hic extra iudicium negotia aliena administrat. arg. l. servum 33. in princ. D. de procuratorib. Alius Universalis, vel generalis, alius specialis: ille universorum bonorum, hic certe alicujus rei vel litis negotiive. l. 1. §. procurator. 1. D. eod. l. si procurator 10. C. eod. Rutilus procurator alius constituitur in rem alienam, alius verò in rem utilitatemque suam; qui quidem alienum negotium (nam proprii nemo procurator esse potest) mandatu Domini gerit, sed ad suum tamen emolumentum. l. servum 33. §. fin. d. tit. ut est is, cui dominus aut vendidit, aut quoquo modo actiones cessit. l. procuratore 85. l. si quis 34. D. eod. add. Wesemb. in c. de procuratorib. Emeric. à Rosbach. in prax. Civ. tit. de procurat. 19. Advertendum tamen, specificam formam, quã procurator à defensore, negotiorum gestore, tutore, curatore, & similibus secernitur, esse mandatum Domini. Negotiorum enim gestor sine mandato negotiatur: tutor verò & curator ac similes, non domini mandatu, sed publicã auctoritate, vel testatoris, vel Legis, vel Magistratus. Aut procurator is est, qui mandatu privati domini administrat. Verbum autem administrandi cum denotat officium procuratoris, tum illud ab officio patronorum distinguit: quorum non est privata negotia gerere aliena loco domini, sed pro alterius causa publicè dicere & advocare, seu jus partis pandere, meritaque causarum allegare arg. l. rem non novam §. patroni autem causarum 1. C. de judic. add. Wesemb. in tit. C. de advocat. divers. judic. Procuratores autem esse omnes possunt, quicumq; non prohibentur arg. l. mutus 43. §. cum quæretur 1. D. eod. Inter alios verò scemina quoque indistinctè in iudiciis procurare videntur: cum quia virile officium est pudore sexus alienum. l. alienam 19. C. eod. tum quoniam intercessio quædam est in procuratione judiciali, qui alienam rem suã fide, suoque periculo tractant.



Bandam suscipit, non distinguemus 32. §. Simuliter 2. D. de recept. arb. Intercessionibus autem mulieres non censerī idoneas, ex supra dictis, manifestum est. Nonnunquam tamen ex decreto causa cognita Jure Civili quidem admittuntur; ut si litem agant suam. l. 4. C. eod. aut pro parentibus liberisve intercedant, nec quenquam qui agat habeant l. fœminas 41. D. d. tit. l. liberto 31. §. pen. D. de Negot. gest. Sed Jure Saxonum, ne his quidem casibus etiam extra judicium admittantur. Nam non habentibus curatorem iudex ipse constituit gl. in SandR. Lib. 1. art. 45. & seqq. & Lib. 2. art. 61. ub. gl. & Lib. 5. art. 30. Weichbild art. 26. in gl. Lehenrechte art. 68. in gl. Nov. Elect. Aug. p. 2. c. 15. Treuil. vol. 1. disp. 9. th. 6. l. 2.

§. I. Impuberes, qui videlicet annum ætatis suæ decimum quartum necdum impleverunt pr. Inst. Quib. mod. tut. fin. Iustus Ulpianus ab omnibus officiis civilibus arcendos esse scribit idè, quod nullum eorum animi est iudicium §. præterea 1. Inst. Quib. non est permis. fac. testam. l. quoniam 1. in fin. C. de fals. monet. Et sanè incivile esset eum, qui ipse alieno auxilio in suis rebus administrandis indiget, ad aliorum res publicè vel privatim gerendas adhiberi §. item major 13. Inst. de excusat. tut. vel curat. Quod si verò impuberes iudicium; aut aliud quodpiam officium publicum jure hereditario habeant, per tutores illud administrare poterunt. arg. c. grandi 2. de supplend. neglig. prælat. in 6. Sanè dignitates, honores, sine administratione impuberes habere non prohibentur. vid. A. B. tit. de success. Princip. Elect. 7. Et eà ratione infanti etiam feudum concedi, & impuberi beneficium Ecclesiasticum, ipseque Canonicatus Ecclesiæ cathedralis tribui potest c. licet 32. de Elect. in 6. c. fin. ub. gl. de judic. in 6. Ceterum exinde, quod Ulpianus impuberis saltem hîc mentionem facit, satis apparet in pubere, qui videlicet annum ætatis 14. excessit, pr. Inst. Quib. mod. tut. finit. aliud receptam esse. Nam & Magistratum gerere, pubes sive minor 25. annis potest l. 1. §. ult. D. de Offic. Consul. & postulare, si annum 18. attigerit l. 1. §. initium 3. D. de postulando. Et in eadem ætate si velit nec litigatores eum recusent, iudicis delegati

delegati partes obire *l. quidam 57. D. de R. Jud. Wesenb. ad tit. C. de recept. arb. n. 8.* Licet arbiter esse non possit, qui annis 20. minor est *l. cum Lege 41. D. de recept. arb. Philip. Matth. hic n. 8.* Hisce Coronidis loco superaddimus. Minorem sine consensu curatoris ex contractu rectè obligari *per l. 101. D. de F. O. dummodò obligatioista cum alienatione conjuncta non sit. Philip. Matth. hic n. 16. Facim. Lib. 3. contr. c. 9. Vult. Lib. 1. Discept. 8. c. 16. Bronch. cent. 1. aff. 33. Ut & minori 25. annis officium procuratoris ad litem denegamus.* Absurdum enim esset minorem ad alienas lites persequendas admitti, cum in propriis per procuratorem litigare cogatur. Sive enim civiliter, sive criminaliter conveniatur minor, curator ad litem ei dandus est, qui ipse nomine judicium exerceat. *l. 1. §. fin. D. de minorib. l. adta, 45. §. fin. D. de R. Jud.* Facit etiam quod hæc sententia Jure Canonico confirmata est *qui generaliter §. de procuratorib. in 6. Pat. 2. quest. 16. Bronch. cent. 1. assert. 49. Philip. Matth. hic n. 26. & segg. Henon. hic disp. 1. q. 6. qui ad aliquos argum. contrar. responder.*

Lex 3.

Hujus L. lectio 1. est vulgaris atq; recepta: *Ejus est nolle qui potest velle.* 2. Cujacij, qui *Lib. 5. obs. c. 39.* ex Basilicis probat legendum esse: *Ejus est non velle, qui potest & velle.* Quæ lectio Cujacij à lectione vulgari non dissentit, quoniam verba hæc, nolle & non velle, ex mente Cujacij in promiscuo usu sunt, & altero pro altero passim accipiuntur *Cujac. Lib. 1. notator. in animadversion. Robert. cap. ult.* Ideò autem vulgata lectio communiter approbatur, quòd cum *l. nolle adire 4. D. de acquir. vel amitt. hered.* apprimè congruat & conveniat. Secundum quam sensus regulæ talis est: In Jure quotiescunque quaritur, an quis noluerit aliquid, cum primis videndum est, an etiam voluisse potuerit. Puta, si quæstio sit, an quis hereditatem adire noluerit, primum attendi oportebit, an etiam adire illam potuerit. Qui enim hereditatem adire nequit, is nec repudiare potest *d. l. 4.*

l. is

hic potest rē. D. de acquirēd. vel amitt. heredit. add. Philipp. Matth.
hic n. 4. Breviter; Qui potest nolle, is etiam potest velle. Et
qui potest velle, is etiam potest nolle. Verum hæc regula non
procedit in administratoribus rerum alienarum, tam privatis,
quàm publicis. Nam tutor, curator, Syndicus & similes admi-
nistratores possunt quidem & tenentur velle, & approbare id
quod ab iis, quorum negotia administrant, obvenit, sed repudiare
aut improbare non possunt l. tutor 8. D. de honor. possess. l. 1. §. tutor.
D. de success. edit. l. pactum 22. C. de pact. Quia ejusmodi per-
sonis non est sua, sed ad commodum alterius communicata vo-
luntas arg. l. tutorem 22. D. de his quib. ut indign. 3. Lectio in
Florentino exemplari est hujusmodi; Ejus est non nolle, qui po-
test velle. Ejus sensus hic est, quod ille possit pati ac tacite
permittere qui velle, h. e. expressè consentire potest. Etenim
velle apertum & expressum consensum arguit Cujac. in l. 4. D. de
pact. de intellectu l. 5. C. de loc. & conduct. Sed non nolle est ta-
cendo consentire, sive non contradicere. text. notabil. in l. 1. §.
scientiam 3. D. de tributor. act. Non nolle igitur medium
verbum est inter velle ac nolle Dec. hic n. 6. Hier. Magon.
in decis. Florent. 148. n. 12. Philip. Matth.


hic n. 13.


SOLI DEO GLORIA!

X 2615918

Vj 17







DEO OPTIMO MAXIMO FORTUNANTE!

ENODATIO 1646 4 7/15

RUBRICÆ, LEG.

I. II. III. TIT. PANDECTARUM POSTREMI, 15

Quæstionibus materiæ subjectæ convenientibus illustrata & ad disputandum,

in Celeberrimâ Academiâ Wittebergensi,

Ex decreto atq; Autoritate Amplissimi Collegij Juridici proposita.


HENRICO COSELIO

de Pezlinovez . J. U. L.
Respondente.

JOHANNE FRIDERICO HILLIGERO

DRESDENSI,
Habebitur

ad d. Januarij horis & loco consvets.



WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.
ANNO clo 1o c XLVI.

50097

